



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 5. De Argolide.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## N V M. 5. De Argolide, seu Argia, &amp; Argiis.

**NOMEN.** *Argolis* nominatur à Pomponio Melâ, *Argia* à Ptolemæo: & nomen hoc ab Argo deductum est, vnde & Argui dicti, qui postea à Danao Danaï nuncupati sunt, ut præmonuimus.

**QUALITAS.** Hæc Regio olim paulò siccior fuit, vt ex fabulis intelligimus, postea fontibus inuentis & apertis facta est palustris: vnde nata fabula Hydræ in Lernâ palude, quæ nihil aliud fuit quam fons, cuius scaturiginem dum obstruere conabatur Hercules, ex tribus capitibus aqua exiliebat; neque reprimi potuit, nisi admoto igne, quo aqua repressa est in terræ penetralia, vt habemus ex Isaacio Lycophronis Scholia. Vitifera quoque erat regio, & modum putandæ vitis se ab Asino recepisse gloriabantur Argiui, qui depastus vineæ pampinos eam feracem reddiderat. Hinc quoque Equi plurimi, vnde Argos ιππόστοι, vt prænotauimus.

**MORES.** Rescidere sibi capillum ex quo vieti sunt à Lacedæmoniis pro Thyreâ. Musici excellentissimi fuere, ineptissimi oratores. In suorum funere ueste candidâ amiciebantur, ait Plutarchus. De corum superstitione multa apud Plutarchum, & Pausaniam edisces.

**POLITIA.** Reges suos habuere ex Inacho ortos; qui primùm Argos, non Mycenæ regni sui sedem habuere. Pelopidæ deinde iis successere, & his Heraclidæ. Postea sui quasi iuris retento Regis nomine eius auctoritatem summam imminuere; ac demùm Achæis iuncti in ditionem Romanam transfiere.

## N V M. 6. De Arcadiâ, &amp; Arcadibus.

**NOMEN.** Olim *Pelasgia* dicta fuit à Pelasgo primo eius Rege, sed cùm filia Lycaonis eius filij, Calysto dicta, à Ioue compressa Arcadem genuisset, nepotis nomen inductum est, expuncto autem nomine.

**QUALITAS.** Regio erat montosa, & sylvestris: vnde equi hic plurimi, & Asini laboris patientissimi; quare abiit in Parcemiā pecus Arcadicum. Diu glandibus Arcades visitarunt. De aquâ Stygis dicemus in Admirandis.

**MORES.** Ante Lunam se natos fabulabantur; vnde & dicti